

(3)

HERCULIS CORAZZI

Ordinis Sancti BENEDICTI
CONGREGATIONIS OLIVETANAE,
ET

Publici Algebrae, ac Analyseos Professoris

ORATIO

BONONIAE HABITA

Tertio idus Martias

ANNO MDCCXIV

AD NOVUM SCIENTIARUM,

ET ARTIUM INSTITUTUM

INAUGURANDUM

SUB AUSPICIIS

SANCTISSIMI D. N.

CLEMENTIS

PAPAE XI.

THE UNIVERSITY OF
MICHIGAN LIBRARY
ANN ARBOR, MICHIGAN
48106-1000



ANN ARBOR, MICHIGAN
MICHIGAN LIBRARY
ANN ARBOR, MICHIGAN
48106-1000

SANCTISSIMO PATRI
CLEMENTI XI.
PONTIFICI MAXIMO

HERCULES CORAZZI.

F.



Ivino quidem consilio factum est, ut quo tempore tota Europa crudelissimis bellis afflicta

A 2

cta

eta a mitioribus studiis avocatur, is potissimum in Urbe ceterarum principe imperaret, qui unus posset, & vellet pristino loco litteras retinere. Intelligis, opinor, Beatissime Pater, non alium designari a nobis nisi te, cui accepta in magno armorum strepitu honestissima haec ornamenta pacis referamus. En tibi non nostra quidem, sed tua; & sane duplici nomine, tum quia nata hoc solo, tum quia nihil usquam est hoc tempore litterarum, quod tanti auspicio Maecenatis non indigeat. Illi enim ipsi, qui sive suo, sive majorum suorum errore a mente deducti nolunt esse, cui tamquam summo Religionis Moderatori pareant, in re tamen litteraria, vel te sibi Principem, vel Principes tui similes, non tacitis plane votis exoptant. Quo

igi-

igitur animo nos esse oportet, qui in tua fide, ac tutela sumus, & quod Catholici, & quod Bononienfes, & quod artibus liberaliffimis occupati? Eo prorfus quo me vides B. P. fanctiffimis pedibus ceterorum nomine provolutum, quidquid est in nobis induftriae, quidquid laboris, quidquid etiam ingenii (fiquid est) totam denique patriam pro beneficiis in nos ingentibus tibi dicantem. Hinc nos tamdiu erimus de tua felicitate folliciti, quamdiu de noftra: nec profecto videbimur ex communi facere confuetudine, fed ex animo, cum publica vota pro tua incolumitate fufcipiemus. Excipe, B. P., ac proba devotas tibi tuorum voluntates, qui numquam rogandus es, ut benigne facias: Et perge in dies magis mortales tibi

multos benefaciendo devincire , qui
inibi es , ubi omnium maxime &
benefacere possis , & debeas .

Bononiae XI. Kal. Maias 1714.

Ad Lectorem.

FActurum me arbitror operae pretium, si antequam ad orationem accedas, paucis ostendero, unde sit, & quo potissimum spectet nostrum hoc Artium, ac Scientiarum Institutum. Haec igitur habeto. Comes Ludovicus Ferdinandus ex antiquissima Marsilliorum familia ut Mathematicis, Physicisque facultatibus mature institueretur, dedit se ab ineunte aetate Geminiano Montanario celeberrimo viro in disciplinam. Ea vero praecipue arvidissime prosecutus, ac diligentissime complexus est, quae muniendi artem, ac praecepta tradunt. Cum itaque adolescens adhuc parentes repentina morte sublatos amisisset, immanissimum inter Turcas, Germanosque bellum jamdiu gliscens anno demum 1682 erupit. Ex quo latissimum ratus sibi aperiri gloriae campum, Jaurini in arce firmissima, ac veluti Austriae propugnaculo prima stipendia fecit; inde orsus bellicae laudis curriculum, unde gregarius quilibet. Sed quam cito se ejus virtus explicuit, & in lucem emerit! Anno enim 1683 cum Turcae ad Viennam oppugnandam omnia rerum, armorumque genera pararent, Jaurinum Princeps

Hermannus de Baden Praeses in rebus bellicis Caesaris consiliarius ventitabat: itaque Juvenem aliquando pro aedium suarum vestibulo excubias agentem allocutus, mirari primo egregiam indolem, subinde vero praestantissimam ingenii vim, cum in omnibus Mathematicis partibus, tum in ea maxime, quae muniendi rationes continet, collaudare, demum non ejus solum opera in arce illa novis rebus firmanda uti, verum etiam cum eo de Arrabonis fluvii praesidiis, ac munimentis consilia omnia communicare. Imo tantae provinciae sustinendae aptissimum prae ceteris Ludovicum judicans, & perditum cohorti praefecit, & eam illi detulit potestatem, qua late omnia, quacunq. annis excurrit, suo arbitratu moderaretur. Tum vero egregius Juvenis, cum sibi, studiisque suis in patria initis omnia benevertere intelligeret, assidue cogitabat (quemadmodum ipse mihi saepe de se) quam grati animi significatione Patriis Musis litaret. Nec vero diu anceps haesit; sed cito invenit, quae splendidissimo Equitum ordini, ceterisque civibus honesta loco natis ornamento essent, & utilitati. Etenim jam tum ingentem librorum numerum ad bellicas artes spectantium colligere statuit, variasque praeterea oppugnandarum, ac propugnandarum Urbium iconas, quarum rerum ope ad immortalis gloriae studiosi adolescentes, magno praesertim exemplo

pl

plo proposito, aliquando contenderent. Neque tamen, cum aliorum laboribus consulere, ipse interea vacabat; sed nihil armorum strepitu a pristinis studiis avocatus magnum illud de Danubio Syntagma composuit eo potissimum tempore, quo prope ejus fluminis ripas castra habebat. Quod quidem & numeris omnibus absolutum est, & ipsa auctoris manu exaratum hac in Academia habemus; publicique juris, Superis bene jurantibus, olim faciemus. In hoc lucubrando Chemicis, & Astronomicis indiguit adiumentis, quorum gratia maximam instrumentorum, rerumque naturalium copiam coegit, bellicisque jam antea comparatis addidit. Ex quo factum est, ut institutum quidem susceptum latius amplificaret, rerumque naturalium scientiam cum arte militari coniungeret. Verum ad majora Augustissimi Imperatoris clementia, virorumque in Aula Caesarea principum benevolentia vocabatur; qui ad crudelissimum bellum tandem aliquando sedandum de utriusque Imperii finibus cum Turcis agere jussus est. Quo quidem in negotio atque plenissimo, ut Principis iudicio; aliorumque expectationi fide, ac diligentia responderet, elegantissima volumina ad Geographiam, ad Historiam, ad pacis inundandae artes magnis impensis comparavit, eo insuper consilio, ut utilia; & decora Patriae suae aliquando forent. Ex his ergo, plurimisque praeterea MSS.

Ara-

Arabicis, Persicis, Graecis, Turcicis, tum ex captarum urbium spoliis, tum aliunde summo labore conquisitis, florentissimae instituendae Bibliothecae consilium cepit; quam mox non libris modo, sed ingenti fossilium, ac metallicarum rerum copia ex tota Hungaria, aliisque Germaniae regionibus collecta ornavit, & auxit. Sed quotusquisque ita sibi fortunam devinxit, ut ab humanis casibus totam vitam securus tranquillissime degat; aut quando desit invidia, virtuti hostis infestissima, magnos viros exagitare? Passus eadem Ludovicus est, quae ceteri mortales. Primum enim morbis tentatus litterarum studia remittere coactus est; quo tempore, ne totus otia retur, coepit animi dispendia corporis labore pensare, horologiis consiciendis, ligneis, atque aeneis instrumentis ad Mathematicos usus parandis, illis denique omnibus construendis officinis, quae postea hoc in loco collocatae sunt. Deinde vero minime liberalis quorundam aemulatio multis peti- tum adversae fortunae telis eo adegit, ut Germania excederet, seque in Gallias conferret, ubi summus olim pacis Arbitrator, ac belli Dux angustissimis se privatae vitae terminis continuit. Sed tamen omne solum forti viro patria est; suaque ille virtute satis beatus sortis iniurias elusit. Agathopoli enim in Gallis cum degeret, & rerum maritimarum genus omne conquisivit, & volumen illud absolvit,

cui

cui titulus -- Il Saggio Fifico della Storia naturale del Mare --; quod quidem MSS. in Regia Lutetiae Academia, tamquam litterarum supellex exquisitissima, custoditur. Neque vero ut fortuna non satis ampla, ita & virtutis fama utebatur. Nam cum Romae bellum timeretur, eo a Sanctissimo Patre CLEMENTE XI. accitus toti ecclesiastico exercitui praefectus est. Ubi cum priscarum monumenta rerum diligentissime persequeretur, mirum est, quam multa beneficentissimi Pontificis favore collegerit, quot signa, signorumque fragmenta, quot lapides, quam varia, eaque optima antiquitatis rudera; quibus ad florentissimam Picturae, Sculpturae, & Architecturae Academiam instituentiam olim uti posset. Pace vero confirmata, cum illud denique sibi praestandum putaret, quod jam tum fuerat ab adolescentia meditatus, placuit totum hoc, quidquid est, Artium, ac Scientiarum Institutum appellare, Senatuique Bononiensi addicere. Proinde sub auspiciis D.N. CLEMENTIS Papae XI., coram Eminentissimo Cardinale Legato LAURENTIO CASONO viro hujus aetatis litteratissimo, & in litteratos liberalissimo prid. Kal. Febr. an. 1712. praeclarissimum hoc Institutum Senatorio Ordini donavit; addita prius altera illa domestica Academia ad rerum physicarum pericula faciendam. Evicic etiam, ut Excelsus Senatus pingendi,

fin-

singendique Arti consuleret novo quasi ludo instituto, qui Principi nostro probatus, ad aeternam Sapien-
tissimi Pontificis memoriam CLEMENTINUS
dictus est; & Eminentissimi Legati aere subsellis
elegantissimis ornatus. Porro seni ex universo Se-
natu Patres amplissimi electi sunt, quorum tutelae,
seni item ex publico Gymnasio Professores, quorum
fidei res tota concrederetur. Ut vero loci majestas
muneris amplitudini responderet, magnificas Excel-
sus Senatus Celestium aedes primum emit; deinde
ingentem Speculam ad Astronomiae usum excitavit;
tum varia loca pro rerum varietate distribuit; po-
stremo suas singulis Professoribus sedes assignavit.
In quo quidem tam splendide fecit, ac magnifice, ut
nulli totius Europae Academiae concedamus. Cete-
rum si quis velit sigillatim omnia cognoscere, quae
referre hujus neque temporis est, neque instituti,
adeat publice editum Indicem locupletissimum. Tu
vero interim humanissime Lector, fac Orationem
hanc aequo animo excipias, quam amplissimorum
Senatorum jussu habui quo primum die novum hoc
Institutum Musis est inauguratum. Ac sicubi offen-
disse videbor, satis habe, mihi animum ad naviter
audendum in re tanti momenti non defuisse. Vale.

NOMINA
PATRUM CONSCRIPTORUM,
QUOS
EXCELSUS SENATUS
A. D.
INSTITUTI SCIENTIARUM, ET ARTIUM
CURAM ELEGIT.

Pompejus Comes Herculanus.

Franciscus Maria Comes Signius.

Franciscus Maria Marchio Albergatus Ca-
pacellus.

Vincentius Comes Bargellinus.

Carolus Alphonfus Marefcalcus.

Antonius Bovius.



PRO-

PROFESSORUM

Nomina, & Officia.

Laelius Triumphettus *Praefes, & Naturae Historicus.*

Geminianus Rondellus *Bibliothecae Praefectus.*

Eustachius Manfredius *Astronomus.*

Hercules Corazzi *Mathematicus.*

Marcus Antonius Laurenti *Chimicus.*

Jacobus Bartholomaeus Beccarius *Physicus.*



Matthaeus Bazzanus *a Secretis.*

Qui omnes, & Doctores sunt, & in publico
Gymnasio Lectores.

ORA-

ORATIO



Scui forte vestrum videor hoc
 tempore præter morem ere-
 ctus, & alacer ad dicendum
 accedere, reputer ipse secum,
 quam turpe sit de magno litte-
 rarum bono civibus gratulantem suis, non vo-
 ce ipsa, gestu, oculis, fronte, vultu denique
 toto rei propositæ naturam, & rationem si-
 gnificare. Utinam vero tantum mihi esset vi-
 rium, ut pro incredibili Civis optimi liberalita-
 te, pro vestra, Amplissimi Senatores, cura, ac
 diligentia, pro tua, Eminentissime Legate, be-
 neficentia singulari, denique pro Patris San-
 ctissimi, ac vigilantissimi patrocínio digne pos-
 sem, non solum voluntate dicendi, sed etiam
 copia, & gravitate demandatam mihi provin-
 ciam sustinere. Sed quoniam neque ego is sum,
 nec ullus fortasse reperiri, aut etiam excogitari
 potest Orator, qui sibi tantum tribuat; finite,
 quaeso, me qualiacumque in medium afferre,
 ne unus videar; qui minime debueram; in
 tanta omnium ordinum lætitiâ per summam
 igna-

ignaviam conticuisse. Efficiam autem illud ostendens, tantam esse institutae Academiae dignitatem, utilitatem esse tantam, ut nec ad naturae momenta exploranda, nec ad artes praestantissimas numeris omnibus absolvendas (quae duo solent ad Urbium felicitatem conferre plurimum) quippiam fieri Bononiae poterit aut utilius, aut illustrius. Erit fortasse cui videat, frustra conari, & in re apertissima operosius, quam oporteat, sive laborare, sive etiam incipere. Sed mea quidem eo potissimum spectat oratio, ut cum testata omnibus, ac notissima dixerò, intelligatis, iis vos beneficia contulisse vestra, qui beneficiorum magnitudinem etsi exaequare, paria reddendo, nequeunt, satis tamen agnoscunt, fatentur, ac praedicant. Quamquam quid est per Superos immortales, quod ea praedicem, quae vos pro ingenti animi moderatione, ac morum modestia taceri malitis, satis superque beati conscientia meritorum? Nihil oneris declinandi causa dico, nihil ex veteri laudandi consuetudine in tempore confectum. Quis enim ignorat illum praesertim ex vobis, de quo non homines modo, sed pariter ipsi praeclarissimis naturae, atque cunctis ad immortalitatem ornati perpetuo locuturi videbantur, illum, inquam, caville

villè in primis, ne quo publico monumento ejus virtutem, ac liberalitatem posteritati commendarem? Erit hæc igitur multarum rerum, atque magnarum commemoratio quædam, non laudatio; & quod ita jubeatis, & quod is dicat, qui ut maxime velit, non tamen possit pro sua tenuitate ingenii dicenda exornare. Hinc percommode vobiscum agitur, percommode mecum, quod nec vos supra virium mearum infirmitatem quippiam jubeatis, nec ego plura jussis præstare possim.

Varia litterarum fata a primis usque temporibus memoria repetenti videntur mihi Musæ Athenis expulsæ, multis sæpe locis, tamquam in diversorio, constitisse, Bononiæ vero sedem collocasse velut in domicilio sempiternam. Nulla enim ceterarum civitas est, aut in Italia, aut usquam gentium, quæ semel exceptas perpetuo retinuerit; ipsaque illa terrarum princeps Roma sæpe coacta est squalore, situque obsita, pati dominos litteris, ac bonis artibus infestissimos. Jure proinde Theodosius alter, cum litterarum studia calamitosissimis temporibus toto pæne orbe exularent, Urbem hanc nostram *studiorum Parentem* appellavit: Magnusque ille Carolus humaniorum artium, ac disciplinarum reparator, ex hoc quasi fonte omnia

(XVIII)

liberalium facultatum genera alio derivavit; Papiaequae, ac Lutetiae Academias instituturus civium nostrorum opera usus est. Haec dum reputo, statim venit in mentem cogitare, quid potissimum in causa fuerit, cur Physicae, Mathematicae, Medicaeque facultates tamdiu hic, tantoque animi ardore exultae, intra tamen veteres Aristotelis, Archimedis, Hippocratis, aliorumque sane paucorum fines diu iacuerint; nec umquam coeperint nisi nostra, patrumque nostrorum aetate libere propagari. Id, nisi fallor, non tam est in nimiam majorum nostrorum seu credulitatem, seu metum coniiciendum, qui se totos antiquis sapientibus, quasi numinibus quibusdam, religiose addixerant, quam ad eorum instrumentorum inopiam referendum, quibus naturae arcana non ex cariosis Graecorum monumentis, sed ex natura ipsa erui nunc demum coepta sunt. Enim vero, si ita est, praeclare vobiscum agitur, honestissimi cives, quibus adiumenta omnia hoc in loco parata sunt ad singulas Philosophiae partes non ingenio solum, & contemplatione, sed manibus quasi ipsis pertractandas, augendas, illustrandas. Quid enim machina illa pulcherrima, & utilissima, quam graece placuit appellare Pneumaticam, cujus auxilio vel ipse aer
nul-

nullis ceteroquin coercitus vinculis , ipse , inquam , aer tenuis quantumvis , & elabens , cietur , constringitur , emittitur , revocatur , & quod incredibile videri possit , penditur , ac mensuratur ? Nonne haec bonos illos priscae aetatis Philosophos satis excusant , qui de aeris natura , tamquam arioli divinantes , inepta multa excogitarunt , & credulae nimium posteritati bona fide imposuerant ? Quid Thermometra ad varios frigoris , calorisque gradus dimetiendos , tum in aere ipso , tum in liquoribus ceteris ? Quid Microscopia nec una , nec vulgaria ad partes vel minimas non solidarum modo rerum , sed fluidarum etiam scrutandas , ac pervidendas ? Quid Hydrostaticae machinae , quid lances , ac staterae , quid denique instrumenta reliqua insigni artificio condita ad omnes naturae vires excutiendas , pensandas , ac certissimis experimentis quasi aliquo lapide Lydio probandas ? Annon haec omnia admonent de sua unumquemque nostrum felicitate ; jubentque non ratione solum , sed ipsismet oculis elementorum causas , & effectus , vires , ac proprietates investigare , nequid sibi venditari , nequid temere obtrudi patiatur ? Quid de Lignaria , quid de Ferraria , quid praesertim de Chimica officina dicam clibanis , fornaculis , & omnige-

na fabrilium rerum copia instructa? Quis non videt hinc demum infinitam prope fieri posse, & Physicæ, & Medicæ facultati accessionem? Etsi enim eorum insania minime probanda est, qui auro plus æquo inhiantes totos se Chemicæ arti dederunt, remque familiarem universam spe ducti misera decoxerunt: tamen si cum sanioribus agatur, ex hoc seu studio, seu artificio, seu labore abditissima naturalium rerum arcana eruuntur, & remedia ad desperatos, ac insanabiles morbos abigendos præsentissima. Abutantur, ut lubet, stolidissima quædam capita pulcherrimo invento; utque nimio plus habeant vilem redigantur ad assem, suamet ipsorum miseria poenas daturi dementiæ tantæ: attamen nihil est cur non magno opere commendemus machinas illas, quibus recte uti qui velit, & ingeniis hominum, & salutis plurimum consulat. Sed quod conatus totius antiquitatis universos, & ipsam pæne hominum fidem superat, Astronomica Specula est, ingenti sumptu, artificio singulari, incredibili præstantissimorum hominum cura pæne constructa, & rebus omnibus apparatusissima, quibus facile possit caelum ipsum pervadi, ejusque partes omnes diligentissime obiri. Supervacaneum est de nobilissimo semicirculo, de tele-

sco-

scopiis , de horologiis , de ceteris innumeris mathematicis instrumentis, eorumque usu verba facere apud eos , qui satis norunt , tantum hic esse hujus generis supellectilem , ut vix possit longissima oratione comprehendi , tantumque inde commodi , & utilitatis redundare ; ut nullis prope terminis definiatur , sed late excurrens Matheseos partes omnes , Physicamque , & Medicam facultatem attingat . Da enim mihi Philosophum , da Medicum , qui idem non sit Mathematicus , videbere profecto nugari ea separando , quae arctissimo colligata vinculo mutuis crescunt auxiliis , sibi que invicem opem ferunt . Sed utinam , inquis , quemadmodum immensos caeli tractus per haec instrumenta intueri licet , ita terrae , marisque regiones , maximo intervallo disjunctas , uno ex loco lustrare possemus ; & ea videre , quibus maxima pars constat Philosophiae , nec videri tamen possunt sine ingenti divitiarum copia , magnisque itinerum laboribus , ac periculis . Cum enim non omnis ferat omnia tellus ; sitque portento simile hac tempestate Alexandros invenire , quemadmodum invenisse fertur Aristoteles , quorum impensis , & auctoritate , multa undique exportentur in unum locum ad Philosophica studia , necesse est passim jacere in-

genia ceteroquin felicissima, aut illis impalescere voluminibus, quae tricus plena majorum nostrorum ingenia tamdiu exercuerunt. O te beatum, quisquis es, si nihil praeterea experis! Nihil te inopia, nihil iterum difficultates sollicitum habeant; sed perge sapere domi tuae, ubi nec opinato Superum beneficio ea collecta sunt omnia, communique exposita usui, quae ad orbis totius conservationem, pulchritudinem, & ornatum sub Luna nascuntur. Jam non nobis barbarorum regiones obeundae, non lustrandi montes, non transmittenda maria, ut Pythagoras, ut Plato, ut Democritus, ut ceteri sapientiae studiosi paene innumeri, qui seu varium naturae ingenium in rebus variis efficiendis ut noscerent, seu viros doctissimos de his disputantes ut audirent, difficillimas peregrinationes susceperunt. In aedibus his magnificentissimis, tamquam in naturae cimeliario, salium fossilium, ac vitriolorum genera omnia colore inter se, ac figura discrepantium collocata sunt: hic praestantissimae facultatis magnetes plurimi; hic aluminum, & crystallo-
rum series tam diligens, & copiosa, ut quaecumque ad eorum ortum, & incrementum pertinent, oculis subiiciantur universa. Numquid metallis delectaris? Ecce tibi aëris, ferri, plumbi,

bi, cinnabaris, mercuriique matrices, quae multiplici terrae, lapidumque varietate compactae metalla ipsa coloribus, ac figuris pro vario ferurae gradu distincta complectuntur. En illae ipsa, quae homines tantopere torquent, metallorum praestantissima argentum, atque aurum; en illae quasi alvi, ubi gignuntur & crescunt. Sed quaeenam ullius generis, aut regionis fossilia sunt, quinam in abditissimis terrae partibus concreti succi, quae vel lapidea corpora, vel in lapidis duritiem miro naturae artificio conversa, quorum hic non copia tanta sit, quantum olim fuisse numquam uno in loco, aut esse, aut fortasse in posterum esse posse, sine trepidatione affirmo? An tu potius silvis, & pratis amicus quae ibi vegetant studiose perquiris, & ad Philosophicam trutinam revocas? Nihil profecto est, quod ex variis terrarum partibus herbarum, atque arborum genera peregrinarum, semina, flores, fructus magnis laboribus, atque impensis exportanda cures, cum in patria possis uno, eodemque loco, ac tempore omnes naturae opes hac in parte meditari, ejusque praeclara opera longe, lateque dispersa uno tibi intuitu repraesentare. At enim non ita est rerum pulcherrimarum secunda tellus, quin plurima in aquae, aerisque regionibus progigni-

gnantur studio, ac meditatione fortasse digniora. An non hic est harum quoque rerum studiosis abunde consultum? Quid testacea, & crustacea tam multa numero, tam varia figuris, tam coloribus pulcra? Quid spongiae, & alcionia tam varie conformata? Quid uniones, eorumque genera multiformia? Quid denique copiosissima illa corallarum, & coralliorum series, eorumque matrices tum communes, quae marinis rupibus plerumque inhaerent, tum quae fortuito aquarum concursu cochleis impactae rariores habentur? Nonne haec, & praeterea multa, quae non est hujus otii commemorare, maria nobis omnia orientis praesertim, atque Americae ob oculos ponunt, magnamque suppeditant non delectationis modo legentem honestissimae, sed gravissimarum cogitationum materiam? Volucres porro quam minime nobis, studiisque nostris res suas inviderunt? Inspicite Auditores, multiplicem illam avorum seriem, nidorum, ac pennarum immensam paene copiam, & varietatem; tum vero pro summa vestra sapientia judicate, utrum restet aliquid volucrum naturam curiosè scrutantibus hoc in loco desiderandum. Quae cum ita sint, desinant aliquando queruli homines, vel rerum-opificem accusare, quod praeclarissima

ma

ma quaeque ad philosophandum late disperse-
 rit, vel Principes viros avaritiæ postulare,
 quod non ea ex omnibus terrae plagis in pu-
 blicas Academiis importanda curent, unde
 possit nobilissimarum cognitionum seges exi-
 stere. Illud potius cordatus quilibet jure do-
 leat, non deesse homines cetera minime ma-
 los, qui novum hoc philosophandi institutum
 perosi suo illi Peripato tamquam scopulo in-
 haereant, nihilque probent, nisi sit ab Aristo-
 tele velut ab oraculo pronunciatum. Qua in re
 quid sentiam, Auditores, sinite me vobis libere
 exponere; ut antiquitatis retinendae studium,
 quo uno propositae hoc in loco exercitationi
 invidiam constare nonnulli conantur, non qui-
 dem per me tollatur (quis enim aut possit, aut
 vellit?) sed aequos tamen intra fines concluda-
 tur. Pluribus siquidem vetustatis religio quae-
 dam inest a majoribus accepta, qua sibi, nisi
 fallor, temere suadent intelligendi vim, & fa-
 cultatem a Superis ad nos profectam paullatim
 deteri, eoque fieri minorem, quo magis a pris-
 co illo mundi exordio recedit. Hinc magno,
 ut appellant, Philosophorum Principi emanci-
 pati, satis, superque sapere sibi videntur, si quae
 ab eo sunt inventa, litterisque consignata fide-
 liter didicerint, & cum opus fuerit, non qui-
 dem



dem Philosophi, sed Philosophiae quasi historici recitaverint. Rati nimirum humani ingenii vires certis circumscriptas finibus ab ejus aetate miserandum in modum decrevisse, vel irrident tamquam fatuos, qui meliora conari velint, vel tamquam litterariae Reipublicae noxios longissime amandant. Ego certe Aristotelem ingenii hominem plane divini tanti facio, quanti praeterea neminem: nec ea ferenda puto capitula ineptissima, quae rerum novarum cupidiora, quam oporteat, omnem antiquitatem iniuriis, atque inanium verborum strepitu lacerant, in Aristotelem vero praesertim, tamquam ceterorum perditissimum, plumbeos pugiones insane distringunt. Ceterum si sit modus in rebus, nec *vitia homines in contraria currant*, ut inquit Horatius, hoc est, si tantum Philosopho illi tribuamus, quantum ejus aetatis conditio patiebatur; statuamusque studia omnia scientiarum, & artium fieri posse novis inventis, novaque diligentia perfectiora, tum demum Philosophiae, ac litteris omnibus praeclare consulamus. Ipse enim ille Aristoteles, quem sibi ducem, quasque Deum tam multi elegerunt, numquid tantopere Philosophiae quasi pomerium protulisset, nisi veteres, ubi oportuit, libere aggressus eorum sophismata refel-

fellisset, idque sibi persuasisset unum, quod
 meditatione, & multarum rerum experientia
 didicerat? Quantas enim ille turbas excitat in
 Melissum, & Parmenidem; quam saepe in
 Anaximenem surgit, & Anaxagoram; quanto
 impetu Democritum adoritur, & Epicurum;
 quam ipsi acriter arma infert Platoni suo, non
 prius ab acie discedens, quam illum, copiasque
 ejus ad internecionem profligaverit? Quae si
 reputarent homines isti, profecto vel nobilissi-
 mum Peripateticorum nomen abiicerent; vel
 Peripati leges, & instituta servantes, ejus vesti-
 giis insisterent, qui nemini cum parceret, inge-
 nue profitebatur, sibi pluris esse veritatem,
 quam magistrum. Sed nescio quo pacto prae-
 judicata quaedam opinio inhaeret eorum ani-
 mis, ut vetustatis religione consecrata putent
 Aristotelica omnia, eumque inexpiabili teneri
 crimine, ac devotum esse arbitrentur, qui vel
 minima reprehendendo violare audeat. Non
 tamen negaverint, ut opinor, Peripateticos
 fuisse Eudemum, Dicaearchum, Aristoxenum,
 Stratonem, Eudorum, Athenodorum, Xenar-
 chum, Nicostratum, qui omnes, & praeterea
 non pauci libertate usi philosophandi in Ari-
 stotelem ipsum disputare non dubitarunt. Quid
 vero Teophrastus Peripateticae scholae in pri-
 mis

mis propugnator, atque heres? Nonne ille, nihil sibi temere credendum cum statuisset, Magistri sui scripta ad incudem revocavit, detraxit quaedam, quaedam addidit, nonnulla conformavit, omnia denique sine discrimine excussit, atque in dubitationem adduxit? Intelligebat nimirum sapientissimus vir, eum esse maxime Peripateticum, qui nemini auctoratus recederet quam longissime disputando ab inepta illa Pythagoreorum responsione *ipse dixit*. Utinam vero memorem libertatis animum diu homines retinuissent, nec ad illa ventum esset pavida ingenia, quae saecula deinde multa mancipiorum instar uni tamquam tyranno inservire; magnumque credidere piaculum vel a Platone, vel ab Aristotele nova excogitando difcedere. Jacuere proinde diu, multumque Philosophicae disciplinae, jacuere Medicae, jacuere Mathematicae, donec patrum nostrorum memoria excitata humani ingenii vis longo antea saeculorum intervallo sopita coepit jugum excutere, & ad veram sapientiam contendere. Tum vero repente tanta undique succrevit scientiarum, atque artium seges, ut brevissimo annorum curriculo plus ceperit res litteraria incrementi, quam toto antea tempore, ex quo tractari litterae coepit: Ut enim

ex-

externa omittam, quae tanta esse potest eloquentiae vis, quodnam tantum ingenii flumen, ut ea possit complecti animo, ac pro dignitate laudare, quae a celeberrimo Marcello Malpighio, quae a Bonaventura Cavallerio, a Petro Mengolo, a Geminiano Montanario, a Dominico Cassino, a Guglielmino, quae denique a Joanne Hieronymo Sbaralea, ad Anatomem, ad Mathesin, ad Physicem propagandas inventa sunt, posterisque liberalissime tradita? Illud verissime dicam, ut mihi quidem videtur, viros illos tanto fuisse ingenii acumine, studio, labore, ac diligentia tanta, ut Baccone Verulamienfi, Gallilaeo, Gassendo, Cartesio, ceterisque sublatis, qui aetate, non sapientia praecesserunt, ipsi per se potuerint rerum Philosophicarum studia primi instaurare, totique posteritati facem praeferre. Quod si eo pervenerunt laudis, & gloriae suoapte naturae lumine, ac privatis laboribus; essent enimvero ad miraculum usque sapientes, si nobiscum his temporibus viverent, quibus publica Senatus cura, privataque Civis beneficentissimi liberalitate provisum est, nequid in hac palestra desudantibus deesset. Est sane cur nobis invident, Auditores, quibus in hac amantissima Patria Studiorum Matre aut natis, aut eruditis, illud
 praec-

praeterea utilitatis accedit, quod ex copiosissima hac mirabilium rerum, & instrumentorum suppellectili facile existit. Quamquam si beati Majorum manes haec nostra respiciunt, & immortali pace compositi sensum habent posteritatis, videre mihi videor, non unos illos rerum naturalium Professores, sed ingentem quandam artificum praestantissimorum cohortem, singulare nobis felicitatis genus, non invidentem quidem, sed potius gratulantem. Quae enim artes ad civitatis gloriam, & splendorem maxime juvant, Pictura, Sculptura, & Architectura, ita nunc demum laute hoc in loco collocatae sunt, rebusque omnibus instructae, ut iis naturae explorandae scientiis, de quibus haecenus egimus, nullo modo concedant. In quo singularis illa tua Cardinalis Eminentissime, ac Litteratissime LAURENTI CASONE, beneficiendi voluntas spectata est; qui non modo conatus nostros auctoritate probasti, rexisti consilio, auspicio fovisti, quod ipsum est beneficii genus non vulgare, sed etiam aere tuo locum ubi pictores conveniunt parasti, ac splendidissime ornasti. Praeclare tu quidem laudatissima SANCTISSIMI PATRIS studia refers; qui artibus praesertim illis operam tuam navas, quibus cum percipis plurimum delectari:

quae-

quaeque CLEMENTINAE cum appellentur ,
 vel ipso cognomento augustissimo diligentiam
 tuam , curam , ac laborem requirunt . Perge
 his artibus , Princeps beneficentissime , hoc in-
 genio , hac virtute de nobis mereri optime .
 Nulla de te civitatis pars , nullus ordo tacebit
 umquam , quamdiu tuae vestigia aequitatis , at-
 que clementiae extabunt : sed tamen honestif-
 simum hoc Artificum collegium altius infixum
 retinebit beneficia tua , nec umquam de suis
 commodis cogitabit , quin de egregia tua libe-
 ralitate magnopere praedicet . Fuit hoc , Au-
 ditores , peculiare nostrae civitati , ut de artium
 ceterarum gloria cum multis certaret , pingen-
 di vero laudem totam fere sibi sine contro-
 versia vindicaret ; tantumque nationes reliquae
 in ea valerent , quanto hinc & praecepta plura ,
 & exempla ad imitandum arripuissent . Neque
 tamen ante id tempus ulla est in hoc studium
 publica collata cura ; sed ipsa caeli temperie ,
 suaque indole ducti Franciae , Tebaldi , Carac-
 cii , Guidones , Dominichini , & sexcenti cum
 homines , tum etiam feminae immortalem sibi
 gloriam apud gentes omnes pepererunt . Ex
 quo facile intelligitis , nihil exiguum , aut vul-
 gare a nostris hominibus in posterum expe-
 ctandum , quibus jam publice consultum est ,

ne loco ornatissimo ad quietem, & splendorem, ne Magistris optimis ad disciplinam, quales sunt celeberrimi Viri Eques Carolus Cignani, Marcus Antonius Franceschini, Joseph Solis, Donatus Creti, Joseph Cresti, & alii, quos totius, Italiae, & ingenio, & arte praestantissimos audeo dicere; nec denique signorum, ac tabularum copia nobilissimarum ad exemplum indigerent. Quod si veteres Thebani, quemadmodum lege sanxerant nequis negligentius pingeret, multamque peccanti irrogaverant, ita pingendi studiosis ex aerario providissent, haberet sane Graecia in hac quoque, ut in ceteris facultatibus, quos nobis, posterisque nostris multos praestantes viros opponeret. Aluntur enim artes non gloria solum, sed commodis; fitque saepissime, ut magna ingenia earum rerum inopia, quae ad veram laudem contendentibus necessariae sunt, miserrime torpeant. Calamitas haec tanto, si bene reputes, ceteris major, quanto communior, tandem aliquando, Deo, hominibusque iuvantibus, ex hac civitate sublata est; jamque ad magnos nobilissima in arte progressus faciendos, satis est, ingenium afferre non desperatum. Hinc ego mirabile nescio quid, patriaeque gloriosum jam nunc in posterum tempus conicio,

in cujus tractatione versarer diutius, ac diligentius, Auditores, nisi me dicendi modus revocaret, juberetque ad rem bellicam properare. Hic vero quod Poetae facere consueverunt, ut in medio carmine grande aliquid, ac singulare dicturi, non secus ac initio, Apollinis, Musarumque opem magno sibi verborum apparatu petant, id ego libentissime usurparem de principe hujus Academiae parte, hoc est de rei militaris scientia verba facturus. Scilicet hoc restabat unum ad hujus urbis felicitatem, ut litterarum, atque armorum studia, veteri alienatione disjuncta, coirent aliquando inter se, eodemque collocata loco mutua sibi officia praestarent. Jam non litterae amplius silebunt inter arma, nec arma jacebunt obstrepentibus litteris: sed quemadmodum tranquillissima pace, atque otio fruentes res bellicas tractare juvat; easque ad Musarum ludos traducere; ita si quando forte ingruat belli necessitas, quod avertant boni Superi, & sedibus se suis Musae sine metu continebunt, & in castra ipsa; cum libuerit, tutissimae ab injuria migrabunt. Id Ludovico Generali Marsillio in primis acceptum referent cives nostri, nationesque universae, in quas studiorum nostrorum utilitas promanabit. Ille enim bellorum, ac litterarum omnium, vel

ab ipsa adolescentia peritissimus, illud unice tota
vira spectare visus est, ut immensam quandam
colligeret, ut profecto collegit, earum rerum
copiam, quae ad militaria per otium tractanda
essent opportunissimae: Vix credent posteri
tantam hanc bellicam suppellectilem ab uno fuisse
paratam: parari vero potuisse tam celeriter;
iisque tempestatibus, eaque in regione, ubi bel-
la acerbissima cum grassarentur, multarum
ipse copiarum dux potissimam provinciae par-
tem sustinebat, hoc certe portentis simile judi-
cabunt. In confesso est, nihil esse in bello cala-
mitosius rudi imperatore; nec plus ad Rempu-
blicam bene gerendam auctoritatem, indu-
striam, fidem, virtutem conferre; quam loco-
rum, urbium, munitionum, armorum, rerum-
que omnium militarium partem domi scientiam.
Certe multum interest ad bellicam lau-
dem assuevisse a teneris stipendia facere, ho-
stem ferire, praesidia agitare, diruere aliena,
munire sua, insidias struere, ac declinare: sed
tamen si rerum multarum experientiae scientia
accedat domo allata, tum eximium illud, ac
singulare solet existere, quod in Caesare, ac
Pompejo magnopere veteres laudavere. Itaque
Ludovicus nullum Patriae illustrius bene-
volentiae, quasque pietatis monumentum re-
lin-

linquere posse putabat, quam si nullis impensis, nullis laboribus, nullis periculis parceret, quibus praeclarissima undique bellicae artis ad discendae adiumenta compararet, nobisque liberalissime largiretur. Nihil jam cuiquam deesse potest, sive ad veterem illam, ac simplicissimam pugnandi rationem, sive ad novam hanc infinitis implicatam rebus cognoscendam; non libri ad Historiam, non tabulae ad Geographiam, non instrumenta ad Geometriam, totiusque Architecturae scientiam, non denique armorum genus ullum, cujus sit aliquis in laessendo, ac propellendo vel remotissimis nationibus usus. Marsillio auctore, Marsillio duce innoxia tractabimus arma, eaque agemus disputando, quae olim adeo videbantur a scholis, ac disputationibus abesse, ut tamquam delirus ab Annibale Phormio irrisus sit, quod se coram, & Antiocho de re bellica differere non dubitasset. Sed ego ita loquor, quasi vero de re militari valde meritis generosissimus Civis nihil praeterea in commune bonum contulerit. Quid Bibliotheca non tam voluminum copia, quam pretio ditissima; quid Typographeum; quid Anatomica, quid Chimica, quid Mathematica instrumenta; quid reliqua illa paene innumera insignis monumenta liberalitatis; quae si omnia

nia velim commemorare , non vox modo , sed dies me deficiat ? Verum quoniam necesse est reticere plura , eaque ipsa , quae dicuntur , parce attingere , fruatur beneficentissimus Civis virtute sua , quae ipsa sibi merces amplissima , ac suopte lumine satis splendida nullo indiget verborum fuce , nullis eloquentiae pigmentis . Fruatur honestissimo civium omnium testimonio , qui vultu , atque oculis satis ostendunt , quanti faciant beneficia sua , quo animo excipiant , qua sint totius posteritatis memoria compensaturi . Neque enim , ut Lodovicus vehementissime nitatur , studium hoc impedire poterit : nolunt se eo compelli moderatione sua , ut ingrati videantur : quaeque ille publice poni laudis monumenta vetat , ea quilibet altere posita servabit animo ; tradet subinde natis , quae excipiant nascituri , & in omnem aetatem quasi per manus propagabit . Jam vero de vobis , *SENATORES AMPLISSIMI* , deque tanta illa loci hujus ornatissimi parandi cura , nulla umquam aetas , nulla civium nostrorum lingua conticescet . Non enim videbamini , immensi laboris opus aut suscipere posse tam cito , aut persequi tam diligenter , aut paene perficere tam celeriter . Certe nos cogitatione rei tantae saepe terri , ac paene fracti hastas , ut dicitur , abiicimus

mus

mus; spemque omnem optatissimi boni, in vestri animi magnitudine, vestraque sapientia unice collocavimus. Aedes erant amplissimae construendae; construxistis: artifices praestantissimi adducendi; adduxistis: custodes addendi vigilantissimi, addidistis: res plurimae sapienter distribuendae, leges dicendae; nihil est omnium a vobis omissum. Omissum autem? Quid est, PATRES CONSCRIPTI, quod non accuratissime obieritis consultando, jubendo, urgendo, ut quam opportunissime simul nobis, simul gloriae vestrae in omnes deinceps aetates confuleretis? Fuit haec quondam Senatus cura, moenia reficere, templa condere, turribus pulcherrimis ornare urbem: at vero ea comparare, quibus civium animi immortalis sapientiae lumine illustrarentur, hoc tanti erat, ut vobis unis P. C. reservari oporteret. Sed me hercule, Auditores, visa sunt omnia hoc tempore in litterarum bonum convenire; & Civis splendidissimi liberalitas, & Senatus vigilantissimi diligentia, & Praefidis Eminentissimi studium, & quod caput est, PONTIFICIS LITTERATISSIMI voluntas. Ferunt Platonem Diis agere quotidie gratias consuevisse quod Graecus natus esset: verum id fieri a nobis multo est aequissimum, & quod Bononiae, & quod hac aetate
nati

-nati sumus, qua tam multi ad civitatis hujus no-
 -strae felicitatem, non sine magno SANCTISSIMAE
 VIRGINIS ANNUNTIATAE nostrae Patronae, ac
 Divae CATHARINAE DE VIRGIS auxilio, consen-
 -sere. Agite ergo Cives optimi; nolite per ve-
 -stram fidem beneficiis tantis segnitèr uti. Est
 quidem ratio omnis artium, ac disciplinarum
 ardua, saebrosa, paene ultra humanae vitae
 terminos diffusa: magnum quid est litterati no-
 -men, splendidum, augustum, vixque ab uno,
 aut altero singulis aetatibus partum: sed tamen
 reputate tot, tantisque adjuventis, ac praesidiis
 difficultates universas facili negotio superari.
 Vos etiam contendite naviter, eruditissimi Vi-
 -ri in hujus Academiae album relati; de quo-
 -rum laude neque hic locus est, ut multa dicam,
 neque tamen plura dicere possum, quam Sena-
 -tus, Populusque Bononiensis requirit. Intelligi-
 -tis, opinor, quantum sit vobis oneris imposi-
 -tum, qui primi jussi estis novam rem pertenta-
 -re, ceterisque ductu vestro subituris viam mu-
 -nirè, facemque praeferre. Ego equidem, cui ne-
 -scio quo pacto contigit in partem venire hono-
 -ris tanti, quantum in me erit, enixe conabor
 praecuntes vos, iterque ostendentes proxime
 sequi: ac sicubi offendam, rogo vos, obtestor-
 que, ut pro communi Patriae bono fidem ve-
 -stram,

stram , atque opem implorantem humaniter subleuetis . Sic enim fiet , ut omnibus , qui de nostra institutione solliciti sunt , PATRIBUS CONSCRIPTIS , LEGATO EMINENTISSIMO , SANCTISSIMO PATRI , toti denique Italiae in magnam spem erectae satisfaciamus . Audiat haec BEATISSIMUS PATER , nostrique amantiſſimus , gaudeatque beneficia sua apud nos collocata magno cum fenore virtutis prodesse multis . Cepit ille jam fidei nostrae specimen satis illustre ; capiat hoc tempore institutionis . Elegit ex civibus nostris quos in caelitum fastos referret ; intelligat ita nunc demum ad innocentissima studia totam componi Civitatem , ut plures ex ea possint illorum similes olim exire . Probet nostrum hunc discendi ardorem , pronamque in genus omne humanitatis voluntatem ; sibi que maxime persuadeat Sapientissimus Pontifex , non aliunde plane , quam ex ejus imitandi studio proficisci .

F I N I S ,

A. L. SOCI. SAVIGNONÆ

Omni nostro studio , diligentiaque Antiquorum consuetudinem , in scribendo , imitabimur , & Aldi Manutii orthographiam potissimum sequemur .

*Vidit D. Jo: Chrysoftomus Piazza Cleric. Regularis
S. Pauli, in Eccl. Metropolitana Bonon. Peni-
tentiarius pro Eminentissimo, & Reverendissi-
mo Domino D. Jacobo Cardin. Boncompagno Ar-
chiepiscopo, & Principe.*

Imprimatur.

*F. Th. Maria Caneti Provicarius Sancti Officii
Bononie.*

BONONIAE MDCCXIV.

Ex Typographia Constantini Pisarii. Superiorum permissu.